

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATIONES

VOL. XVII - N. 1

1985

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1985

OMAGGIO AL CARDINALE

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Epistula de usu Missalis Romani iuxta editionem typicam anni MCMLXII (3-10-1984)	3
Lettera Apostolica Motu Proprio per la istituzione della nuova Commissione Pontificia per la Pastorale degli Operatori sanitari (11-2-1985)	5

Allocutiones

Allocuzione del Santo Padre al Convegno Ecclesiale Italiano di Loreto	10
Discorso del Papa alla Pontificia Commissione Biblica	12
Discorso del Papa ai 28 nuovi Cardinali	14
Discorso del Papa al suo arrivo nei Paesi Bassi	16
Discorso del Papa agli Educatori Cattolici al Convegno di Countyhall di Den Bosch	17
Discorso del Papa agli Organismi di aiuto al Terzo Mondo	19
Discorso del Papa alla Conferenza Episcopale dei Paesi Bassi	22
Omelia del Papa per il IX Centenario della morte di Gregorio VII	26

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studiorum « De Normis Generalibus » (Sessio II)	29
II. Coetus studiorum « De Clericis » (Sessio II)	74
Coetus studiorum « De Circumscriptionibus Ecclesiasticis »	90
Coetus studiorum « De Conciliis Particularibus et Conferentiis Episcopalibus »	98
III. Coetus studiorum « De Religiosis » (Sessio II)	113
OPERA A BIBLIOTHECA COMMISSIONIS RECEPTA	148

**COETUS STUDIORUM
RECOGNOSCENDIS NORMIS CODICIS DE CLERICIS**

Sessio II

(Conventus diebus 3 aprilis ad 8 aprilis a. 1967 habiti)

Diebus 3 ad 8 aprilis anni 1967, in aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas Codicis Iuris Canonici « de clericis ». Conventibus intererant decem Consultores.

Relationem de quaestionibus propositis paraverant duo Consultores; votum miserunt sex Consultores.

Quaestiones huic coetui propositae, in hac sessione tractandae, erant sequentes:

1) quaenam sint recognoscenda in disciplina Codicis « de reductione ad statum laicalem » (cann. 211-214);

2) quaenam sint recognoscenda in normis generalibus introductoriis de clericis in specie (cann. 215-217);

3) quaenam sint recognoscenda in canonibus de Conciliis particularibus (cann. 281-292), et quaenam sint statuenda de Conferentiis Episcoporum.

Antequam incipit de his canonibus disceptatio, animadvertisit Secretarius Adiunctus Commissionis textus in priore sessione approbatos iterum considerari posse, sed melius esse ut in proxima sessione denuo considerentur, et rogat coetus membra ut in scriptis prius emendationes, si quas proponendas habeant, transmittere velint, additis etiam rationibus ad emendationes invocatis.


I

**DE REDUCTIONE CLERICORUM
AD STATUM LAICALEM**

1. *Titulus seu Rubrica*

Exponit Secretarius Adiunctus emendationes in votis scriptis propositas:

1) de sententia primi Consultoris, titulus, uti est in Codice, mi-



norem aestimationem pro laicis involvit, et convenit ut titulus sit « *de ammissione status clericalis* »;

2) iuxta secundum Consultorem, titulus, utpote incompletus, perfici debet, ita ut fiat « *de reductione ad statum laicalem et de nova admissione ad statum clericalem* ».

Exponit Secretarius Adiunctus divisionem huius tituli ab aliquo Exc.mo Consultore propositam, in qua nempe sermo fit primo de clericis consecratis, deinde de non consecratis.

Ad titulum a primo Consultore propositum quod attinet, aestimat quidam adesse difficultatem in usu verborum « *amissio status clericalis* », quia quis cogitare posset ipsum ordinem amitti; quam difficultatem intelligens, est qui dicit, in primo canone cum dicatur ordinem non amitti, solvitur difficultas.

Secundus Consultor subsumit adfirmans titulum Codicis servari posse, et nullam videri diminutionem pro laicis, quia « *reductio ad statum laicalem* » est expressio iuridica.

Attamen quinque Consultores aestimant paeferendam esse rubricam « *de ammissione status clericalis* », et explicat quidam ex eis: est vere *amissio status*, non *amissio ordinis*; « *ordo* » et « *status* » non sunt synonyma.

Est qui instat, allegando per vocem « *amissio* » effectum indicari, non causam, quae est dimissio. Sed notat Secretarius Adiunctus etiam propria sua voluntate subdiaconum, qui matrimonium contrahit, statum amittere.

Plerique Consultores itaque aestimant titulum requiri: « *De ammissione status clericalis* »; qui ideo titulus probatur.

Ad divisionem propositam, plerisque non placet distinctio inter consecratos et non consecratos, et convenienter coetus membra in deliberatione servandum esse ordinem Codicis et postea de novo ordine introducendo esse tractandum.

Etiam a quodam Consultore aliis ordo proponitur: de eius sententia, primus canon praebere debet definitionem in qua includuntur effectus. Sed, iuxta Secretarium Adiunctum, imprimis modi amissionis sunt indicandi, et deinde tantum de ammissionis status clericalis effectibus agi debet. Proponit ergo iterum ut modo ordo Codicis servetur; de quo membra consentiunt.

2. *Can. 211, § 1*

1) Ad verba proposita quod attinet, scilicet « clericos consecratos » et « non consecratos », est qui animadvertisit non esse dirimendam quaestionem. Sed Secretarius Adiunctus cum socio coetus proponunt ut servetur modus loquendi traditionalis et ut distinguantur semper « clerici in maioribus ordinibus constituti » et « subdiaconi ».

Consentient omnes.

2) Quaestio ponitur utrum ad amissionem status clericalis, competens debeat esse *Episcopus dioecesanus*, non tantum pro subdiaconis, sed etiam *pro diaconis*.

Sedi Apostolicae hanc competentiam esse reservandam aestimant plerique. Est qui illud proponit, quia ita maior requiritur ponderatio ex parte petentis; alter autem id admittit, sed propter rationem psychologicam: reductio totalis, sine ulla coelibatus obligatione, secus videretur nimis facilis. Consentient Consultores coetus; arguit etiam adhuc et alter Consultor, quia diaconatus est iuris divini.

Episcopo hanc competentiam esse agnoscendam censem Consultor quidam, arguens:

a) sane ordo diaconatus est institutionis divinae, non autem obligatio diaconorum ad coelibatus, et de ammissione obligationum agitur;

b) insuper diacono petenti semper de facto conceditur reductio ad statum laicalem; cur recurrendum ad Sanctam Sedem?

3) De modis reductionis ad statum laicalem vel amissionis status clericalis, diversae sententiae propositae sunt:

a) est Consultor qui proponit ut mutetur finis canonis « ... Sanctae Sedis rescripto vel sententia declaratoria aut poenali ad normam cann. 1993-1998 ». Animadvertisit autem Secretarius Adiunctus hos canones agere de causis contra ordinationem;

b) est vero qui servat textum Codicis, aptatis verbis secundum canones iam probatos in prima sessione;

c) iuxta tertium Consultorem excludi debet forma « rescripti », quae non dat sufficietes cautiones in re tanti momenti, et dici debet: requiri decretum administrativum vel sententia ad normam can. 214. Notat autem Secretarius Adiunctus etiam rescriptum esse actum administrativum et etiam decretum. Aestimat insuper tertius Consultor referentiam ad poenam degradationis non requiri, quia includitur in

verbo « sententia ». Notat Secretarius Adiunctus in can. 214 non agi de sententia poenali, sed de sententia propter defectum libertatis in ordinato.

Proponit Secretarius Adiunctus ut textus huius paragraphi per tres numeros enuntiet rationes seu modo amittendi statum clericalem pro clericis in maioribus constitutis, et ut statuatur: « Etsi sacra ordinatio, semel valide recepta, numquam irrita fiat, clericus in maioribus ordinibus constitutus statum clericalem amittit: 1º rescripto Sanctae Sedis, ad instantiam ipsius clericu concessu; 2º decreto administrativo aut sententia iudiciale, ad normam can. 214 (qui postea fiet 212); 3º sententia iudiciale poenam degradationis irrogante ». (Postea, ad deliberationem de can. Codicis 214, de facto complebitur textus huius canonis).

Ponit quaestionem quidam: potestne dici quod ordo minor amitti non potest, quia talis ordo est institutionis ecclesiasticae.

Respondeat Secretarius Adiunctus quaestionem solvi non debere ut norma statui possit de ammissione status.

Textus propositus, supra indicatus, placet omnibus, sed, ut dictum est, postea iterum mutabitur, vel potius complebitur.

3. Can. 211, § 2

De altera hac § disputatur: utrum Ordinarius per decretum clericum subdiaconum dimittens a statu clericali, debeat eundem audire et audire etiam Consilium de Seminario, ut proponit unus ex Consultoribus.

1) Non debet audiri *ipse clericus*, secundum sententiam duorum Consultorum, aestimantes solam prudentiam Episcopi sufficere.

Audiri debet clericus, et ergo dici debet « audito clero »: ita opinantur tres Consultores, arguentes id iure naturali requiri.

Dici debet: « audito clero, si possibile est », iuxta tres Consultores.

Suffragium fit utrum statui debeat « audito clero ». Affirmativum suffragium ferunt sex Consultores; negativum ferunt suffragium tres Consultores.

2) Utrum audiri debeat coetus deputatorum Seminarii aut Rector Seminarii disputatur.

De sententia cuiusdam Consultoris, optandum est ut audiatur coetus deputatorum: deputati enim sunt viri independentes, qui optime

iudicare possunt in hac quaestione; insuper Codex Iuris Canonici obligat ad instituendum Coetum deputatorum (can. 1359), ut audiatur in rebus maximi momenti: Episcopus non potest esse solus hierarcha, et hodie praesertim non admittitur illud quod solus Episcopus decernit.

Secundum alterum Consultorem, audiri non debent deputati, quia sunt extra Seminarium et non cognoscunt adiuncta quaestionis, sed audiiri debent illi qui sunt in Seminario et cognoscunt clericos ibidem degentes; insuper dimissiones sunt satis frequentes et in singulis casibus non possunt audiiri deputati.

Commissionis Pro-Praeses, censet sufficere ut « audiantur » aliqui ab Episcopo: Episcopus non debet decernere solus; sed non videtur esse audiendus coetus deputatorum, eo vel magis quod talis coetus saepe suo munere non fungitur.

Est etiam qui aestimat audiendum esse Consilium presbyterale. Secretarius Adiunctus censet potius audiendum esse Consilium ad iudicandum de vocationibus, quod Consilium instituendum esset. Exc.mus quidam Consultor declarat in sua dioecesi audiiri Superiores Seminarii et hanc normam admitti posse.

Quaestio ergo ponitur utrum statui debeat obligatio audiendi *aliquod* Consilium. Suffragium sequentem dat exitum: 1) audiiri debet Rector Seminarii: ita unus tantum; 2) audiiri debet Consilium deputatorum: ita duo Consultores; 3) nulla obligatio statui debet de audiendo Consilio: ita quinque Consultores.

Quare admittitur textus sequens:

« § 2. Clericus ad subdiaconatus ordinem promotus statum clericalem amittit:

1º sua ipsius voluntate, praemonito Ordinario qui eum clero adscripsit;

2º ipso facto ob causas in iure definitas;

3º decreto ab Ordinario qui eum clero adscripsit, iusta de causa, lato, si nempe idem Ordinarius, ipso clero quidem auditio, omnibus perpensis prudenter iudicaverit eundem Ecclesiae utilitatis ratione ad ordines promoveri non posse ».

Omnis conveniunt de hoc textu, et de supprimendis verbis can. 211,

§ 2 « cum decore status clericalis », quia etiam decus status clericalis pertinet ad utilitatem Ecclesiae.

4. *Can. 212, §§ 1 et 2*

Postquam de rationibus amissionis status clericalis quaestio fuit, nunc agitur de effectibus huius amissionis. Inter effectus, primus est quod requiruntur conditiones ut denuo admitti valeant qui statum clericalem amiserunt.

Secundum ius Codicis vigentis: § 1 agit de iis qui in minoribus ordinibus constituti ad statum laicalem sunt regressi: ut denuo admitti valeant requiritur:

1º licentia Ordinarii dioecesis cui prius incardinatus fuit, non concedenda ab ipso nisi post diligens examen de vita et moribus;

2º congruum, iudicio ipsius Ordinarii, experimentum;

§ 2 agit de clericis maioribus qui ad statum laicalem sunt reducti: ut denuo admittantur requiritur licentia S. Sedis.

Emendationes propositae in votis scriptis sunt sequentes:

1. Secundum unum Consultorem, eadem norma requiritur pro omnibus: licentia S. Sedis.

2. Duo Consultores merito notant incompletum esse textum Codicis, qui sermonem facit tantum de Ordinario loci: Ordinarius incardinans non est necessario Ordinarius loci. Est qui complet textum Codicis in hoc sensu: « Diaconus aut subdiaconus qui ad statum clericalem reductus est inter clericos denuo admitti nequit, nisi Ordinarius, *audito* Ordinario dioecesis aut *Superiore maiori* religionis cui clericus prius adscriptus fuit, post diligens examen super vita et moribus, *atque eius conditionibus personalibus*, et post congruum experimentum, eundem sacro ministerio dignum et idoneum iudicaverit ».

3. Duo Consultores proponunt ut loco verborum « licentia Ordinarii dioecesis cui incardinatus fuit », admittantur verba « *audito* Ordinario Ecclesiae particularis cui incardinatus fuit ».

4. Plerique aestimant requiri aliquod experimenti tempus; proponit quidam ut hoc tempus *definiri* debeat ab Ordinario.

5. Ad clericum maiorem quod attinet, plerique conveniunt servandam esse substantiam normae Codicis, in § 2, scilicet vi cuius requiritur licentia S. Sedis.

Pro can. 212, § 1, a Secretario Adjuncto, proponitur textus sequens, quem, post deliberationem, omnes admittunt:

« Subdiaconus qui statum clericalem amisit, nequit denuo inter clericos admitti nisi Ordinarius, ad incardinationem competens ad normam can. ..., auditio Ordinario Ecclesiae particularis aut Instituti cui adscriptus erat, post diligens examen super vita et moribus, et post congruum probationis tempus, eum sacro ministerio idoneum iudicaverit ».

Pro can. 212, § 2 proponitur textus, item ab omnibus admissus:

« Clericus in maioribus constitutus qui statum clericalem amisit, nequit denuo inter clericos adscribi, nisi per Apostolicae Sedis rescriptum, quod quidem nonnisi rarius conceditur ».

Ad § 2 quaestionem movet unus e Consultoribus utrum opportunum sit statuere talem normam, quia, si clericus maior reductus ad statum laicalem, omnia officia amisit, quaestio de eius readmissione non ponitur.

Dissentiantur duo Consultores, quibus accedit tertius, arguens etiam si clericus ad statum laicalem reductus sit, cum dispensatione a lege coelibatus, potest fieri ut, post quoddam tempus difficultatum, regredi desideret et fiat bonus presbyter.

Est qui tamen, arguens vitam sacerdotalem esse consecrationem definitivam, censet possibilitatem regressus in tali casu esse tentationem pro presbyteris. Tandem, proponente Secretario Adiuncto, admittitur textus, qui supra indicatur.

5. Can. 213, §§ 1 et 2

Agitur de alio effectu amissionis status clericalis: de ammissione officiorum clericalium et obligationum clericis propriarum.

Secundum ius Codicis, qui statum clericalem amittunt, eo ipso amittunt officia, beneficia, iura ac privilegia clericalia, et vetantur in habitu ecclesiastico incedere; clerici tamen maiores, adstricti remanent lege coelibatus, salvo praescripto can. 214.

Duplex sententia proponitur a membris huius coetus studiorum, in scriptis:

1. clericus maior qui amittit statum clericalem, per se adstrictus remanere debet lege coelibatus, nisi ulterior interveniat dispensatio S. Sedis, post aliquod tempus tantum concedenda: ita duo Consultores;

2. alia sententia est quod omnis reductio ad statum laicalem secumferre debet dispensationem *ab omnibus officiis ecclesiasticis, etiam ab obligatione coelibatus*: ita sentiunt sex Consultores. Rationes

invocatae in favorem huius sententiae sunt sequentes: constat ex votis paratis ab Episcopis, in ordine ad Concilium Vaticanum II, talem normam esse in votis multorum Episcoporum in mundo (ita Consultor quidam); multi Episcopi aestimant talem normam requiri (duo Consultores); reductio ad statum laicalem servata obligatione coelibatus, in damnum est potius quam in beneficium personarum, et est occasio multorum peccatorum (unus quidam Consultor); qui vocationem amiserit, plene reduci debet ad statum laicalem, ne munera sacra pietate facta iniuste cogatur perficere (unus e Consultoribus).

Praeterea de sententia multorum, supprimenda sunt verba « beneficia, privilegia ». Est qui proponit ut addatur « dignitates », quia sunt dignitates, quae non sunt officia. Respondit alter adfirmans illas includi in iuribus et significari per verbum « iura ».

Consentient tamen omnes addi debere verbum « dignitates ».

Deliberatio dein habetur utrum omnis reductio ad statum laicalem secumferre debeat dispensationem quoque in lege coelibatus.

1. Quidam proponit duplarem gradum: primo reductio ad statum laicalem, secundo, post aliquod tempus reflexionis, dispensatio in lege coelibatus. Rationes allegantur sequentes: fieri potest ut quis regredi velit ad statum laicalem ex improvisa passione, minime permanente: talis, qui non iam obtinuit dispensationem ab obligatione coelibatus, potest regredi ad vitam sacerdotalem; insuper saepe mulier, quacum clericus matrimonium contrahere intendit, non vult matrimonium, nisi coram Ecclesia, quae non vult matrimonium nullum: in tali casu, clericus, cum matrimonium cum eadem contrahere non valeat, potest regredi ad vitam sacerdotalem. Ergo optandum videtur ut graduatio habeatur: primo concedi potest amissio status clericalis, sed sine dispensatione ab obligatione coelibatus, et postea tantum, per novum actum, post aliquod tempus reflexionis, dispensatio ab illa obligatione.

Cum isto Consultore conveniunt et alii tres socii coetus, imo est qui censet statui posse clericum reductum ad statum laicalem post duos annos ipso facto liberum esse ab obligatione coelibatus.

Contra eos, est qui sententiam oppositam defendit, qui rationes allegat sequentes: obligatio ad coelibatum introducitur lege - non voto (quo personaliter quis se ligaret), est scilicet effectus legis, et haec obligatio iustificatur tantum necessitate ministerii, cuius nempe ratione « conveniens » dicitur in Decreto *Presbyterorum Ordinis* Concilii Vaticanii II. Concludi debet: cum amissione status clericalis, obligatio

coelibatus cadere debet, ex iuris logica constitutione. Caeterum secus salus aeterna personarum est in periculo.

Animadvertisit, insuper, idem Consultor: in Commissione praeparatoria ad Concilium «de Sacramentis», quaestio mota est: initio, omnes Episcopi contrarii erant dispensationi a lege coelibatus, ne porta aperiatur; post hebdomadam deliberationis, convenerunt omnes pericula esse magna pro sacerdotibus in denegatione dispensationis ab obligatione coelibatus. Tandem arguit: Omnes sumus in favorem legis coelibatus, quantum servari potest; sed Ecclesia excedit potestatem suam nolens dispensare eum quem iam non ut ministrum suum agnoscit.

Disputatio sequitur inter Consultores.

Quidam Consultor animadvertisit nobis non licere quaestionem solvere, quia Concilium, in Decreto *Presbyterorum Ordinis* normam statuit de servanda lege coelibatus.

Secretarius Adiunctus notat Concilium de quaestione hic mota non agere: servat legem coelibatus pro sacerdotibus, sed nihil statuit de obligatione eorum qui amiserunt statum clericalem.

Instat primus Consultor, arguens interesse et bonum populi christiani considerandum esse.

Duo Consultores declarant se consentire propter rationes sequentes:

1) logicum non est reducere ad statum laicalem et servare obligationem ad coelibatum;

2) quando sacerdotes post quoddam tempus experiuntur se non posse coelibatum servare, non potest ab eis requiri ut coelibatum servent; talis obligatio esset occasio multorum peccatorum, et quidem occasio ab Ecclesia consecrata; si reducuntur ad statum laicalem, manente lege coelibatus, eorum conditio fit peior. Si Ecclesia decernit legem coelibatus manere et reductionem ad statum laicalem per se non secumferre dispensationem ab obligatione coelibatus, exceptiones erunt numerosiores quam ipsa regula.

Est qui censem distinctionem esse faciendam inter diaconos et presbyteros.

Est Consultor qui animadvertisit etiam considerandam esse conditionem eorum qui amissionem status clericalis petierunt, et non iam obtinuerunt: tales abstinere debent ab omni ministerio et non possunt exercere officia ecclesiastica; obligati manent omnibus obligationibus clericalibus, sed non sunt obligandi ad recitationem horarum canonicarum.

Tandem proponit Secretarius Adiunctus solutionem quaestione tam disputatae intermedium. Proponit ut ad hunc canonem, qui de effectibus amissionis status clericalis agit, statuatur hanc amissionem liberare ab omnibus obligationibus clericalibus, etiam ab obligatione coelibatus, sed ut statuatur ad can. 211, qui nempe agit de rationibus amissionis status clericalis, hanc amissionem concedi diaconis propter graves rationes tantum, presbyteris vero propter gravissimas tantum rationes et nonnisi post aliquod tempus experimenti. Proponit insuper ut in separato canone declaretur eos qui amissionem status clericalis petierunt et non iam obtinuerunt, nullum exercere posse officium ecclesiasticum et nullum implere posse ministerium divinum.

Itaque canones sequentes admittuntur, effectus petitionis amissionis status clericalis et effectus ipsius amissionis status clericalis quod attinet:

Can. 213

Clerici in maioribus ordinibus constituti, qui dimissionem a statu clericali petunt, nullum interim officium ecclesiasticum implere nullumque ministerium exercere possunt, obligationibus autem statui clericali propriis adstringuntur, sola excepta obligatione horarum canoniarum.

Can. 213-bis (qui postea fiet 214)

Clerici qui statum clericalem ad normam iuris amittunt, cum eo amittunt iura statui clericali propria, officia ecclesiastica atque dignitates ecclesiasticas, nec ullis adstringuntur obligationibus statui clericali propriis.

Textus ab omnibus adprobatur, ea ratione ut mutetur textus can. 211, videlicet in hoc can. 211 distinctio facienda est inter diaconos et presbyteros, et affirmandum est amissionem status clericalis presbyteris non concedi nisi ob gravissimas rationes et post tempus experimenti tantum.

Ita regressus fit ad textum can. 211

A Secretario Adiuncto proponitur textus novus can. 211, § 1:
 « Etsi sacra ordinatio, semel valide recepta, numquam irrita fiat, clericus in maioribus constitutus statum clericalem amittit:

1º *rescripto Apostolicae Sedis, ad instantiam ipsius clerici concessso; quod vero rescriptum diaconis ob graves tantum causas,*

presbyteris ob gravissimas causas et nonnisi post congruum probationis tempus, ab Apostolica Sede, auditio proprio clericu Ordinario, conceditur;

2º decreto administrativo, aut sententia iudicali, ad normam can. 214 (qui nunc fiet can. 212);

3º sententia iudicali poenam degradationis irrogante ».

De hoc novo textu can. 211, § 1 iterum habetur disputatio.

1) Est qui interrogat, ad 1º « ad instantiam ipsius clericu concessio », quid accedit, si clericus qui officium suum non amplius adimplet et non vult petere amissionem status clericalis.

Respondet quidam ex Consultoribus in tali casu poenam depositionis aut degradationis pronuntiandam esse, etiam via administrativa.

Observat autem Secretarius Adiunctus talem poenam sola via iudicaria esse irrogandam.

Concedit Consultor qui supra Codicem poenalem esse recognoscendum.

2) Instat tamen quidam ut rescriptum amissionis status clericalis pro iis qui tantum sunt diaconi concedi possit ab Ordinario: praxis enim est S. Sedis semper illud concedendi.

Animadvertisit semper idem Consultor tale rescriptum per M. P. *De Episcoporum munib' Sanctae Sedi reservari.*

Respondet autem Secretarius Adiunctus hanc disciplinam mutari posse.

Instat tamen idem Consultor ut tale rescriptum a sola Sancta Sede concedi valeat, quia:

- 1) maior est difficultas, si Sancta Sedes intervenire debet;
- 2) reverentia erga S. Ordinationem illud suadet;
- 3) est causa maior, secundum traditionem;
- 4) est defensio pro Episcopo.

Est qui declarat adesse rationes pro et rationes contra. Rationes pro potestate concedenda Episcopis sunt: quia semper de facto conceditur tale rescriptum diaconis potentibus et convenit ut Episcopi habeant potestatem. Rationes contra illud sunt: facilitas in concessione periculum affert; multi possent ordinationem diaconatus recipere, qui non sunt dispositi, scilicet multi provisorie admitterentur.

Exsurgit quidam qui et ipse aestimat rescripti concessionem esse

reservandam Apostolicae Sedi: ordo diaconatus est divinae institutionis, ait; insuper maior facilitas sese liberandi minueret aestimationem sacramenti. Convenit etiam alias Consultor. Quare textus additus remanet uti proponitur.

3) Ad § 2 eiusdem can. 211: « Clericus ad subdiaconatus ordinem promotus statum clericalem amittit: 1º sua ipsius voluntate, praemonito Ordinario qui eum clero adscripsit. Quoad formulationem est qui aestimat dicendum esse « *praemonito in scriptis* », et qui censet statuendum esse « *ad instantiam clerici clare manifestatam* ». Tertius Consultor affirms formulam « *in scriptis praemonito* » allegatam habere momentum, quia agitur de ammissione status. Animadvertis autem Secretarius Adiunctus Codicem statuere « *praemonito Ordinario* » et disciplinam Codicis non esse severiore reddendam in hac materia. Quare admittitur textus propositus, sine mutatione.

Itaque novus textus can. 211 ab omnibus approbat. Et admissa hac additione in textu can. 211, etiam approbantur ab omnibus cann. 213 et 213-bis, ut supra enuntiantur.

6. Can. 214

In Codice, can. 214 agitur de reductione ad statum laicalem eius qui metu gravi, extrinseco, coactus ordinem sacrum recepit et qui, remoto metu, ordinationem ratam non habuit saltem tacite per ordinis exercitium. Haec est sola causa quae in can. 214 Codicis indicatur.

Variae quaestiones moventur de hoc canone.

1. Certocertius *metus gravis extrinsecus* remanere debet ut causa sufficiens ut quis redigatur ad statum laicalem. Quaestio est utrum sermo fieri debeat de ratihabitione.

Est qui censet supprimenda esse illa verba, quibus affirmatur aliquem postea ratam habere posse ordinationem, quia qui non est liber in ordinatione suscipienda, postea non potest fieri liber, secundum leges psychologicas; potest quidem fieri ut ratam habeat ordinationem, sed non succedit in suo conamine.

Consentit Secretarius Adiunctus illa verba supprimi posse.

Notat quidam dispensationem semper proponi, si dubium remanet utrum ratam habuerit ordinationem.

Alter Consultor aestimat possibilitatem concedendam esse tali clero ut remaneat.

Etiam Consultor qui supra, admittens rationes quasdam allegatas in theoria esse veras, censet optionem esse dandam tali clero.

Instat tandem quidam, allegans proprie actionem institui non posse, si ordinationem ratam non habuerit clericus.

In fine disceptationis, conveniunt omnes verba illa de ratificatione esse suppressa.

2. Etiam *defectus libertatis intrinsecæ seu psychologicae* attendendus est iuxta plerosque.

Iuxta tres Consultores proponi potest textus: « Clericus qui ratione metus gravis sibi incussi aut alias gravis causæ debita libertate gavissus non est ... ».

Conveniunt omnes de hoc textu.

3. *Aliae etiam rationes* invocari possunt, scilicet *defectus aptitudinis, defectus valetudinis*.

Est qui proponit ut statuatur: « Clericus qui ante ordinationem conditione personali, quae ratione physicae vel psychicae valetudinis, ad coelibatum suscipiendum necessaria est ... ».

Admittunt omnes valetudinem esse considerandam, quia in Decreto Vaticano II *Optatam totius*, de institutione sacerdotali, n. 6, declaratur: « Inquiratur de candidatorum recta intentione ac libera voluntate, de idoneitate physica et psychica valetudine, consideratis quoque dispositionibus a familia forsan transmissis ».

4. Quaestio exsurgit utrum attendi debeant causæ ante ordinationem existentes tantummodo, an etiam causæ ordinationi supervenientes.

Movet quaestionem unus Consultor, qui proponit textum: « ... vel qui talis conditionis (conditionis personalis, quae ratione physicae vel psychicae valetudinis, ad coelibatus obligationem necessariae) defectu post ordinationem susceptam laborat ».

a) Aestimant autem quinque Consultores, in casu supervenientis causæ, sufficere textum can. 211, secundum quem per rescriptum clericus amissionem status clericalis obtinere potest.

b) Instat tamen Consultor qui supra, quia qui impar fit ad obligationes implendas, habet verum ius ad libertatem, et non debet pendere a gratia concessa.

Respondet quidam Consultor: quando causa est antecedens, datur ius ad causam iudiciale; quando est superveniens, datur ius ad petendum rescriptum.

c) Proponit alter ut distinguantur causæ physicae et causæ quae a voluntate dependent.

Animadvertisit adhuc alter incapacitatem certo esse amentiam, sed nullam aliam rationem supervenientem quae non sit amentiae species, influxum habere.

Est denique qui proponit ut limitetur ius ad actionem ad casum infirmitatis *physicae*.

d) Instat vero Consultor, allegans ius provenire ex eo quod fundamentum obligationis ad coelibatum est lex, non est votum. In Concilio Vaticano II, in Decreto *Presbyterorum Ordinis* apparet quod fundamentum est lex: nemo, qui fit incapax, lege teneri potest.

e) Proponit Secretarius Adiunctus ut admittatur ius ad actionem pro casu quo habetur ratio valetudinis quo quis incapax fit ad servandas obligationes status clericalis, sive ratio sit antecedens sive sit superveniens.

Disputatur utrum omnis ratio valetudinis admitti possit. Rogat primus utrum valeat etiam ratio infirmitatis moralis. Respondet autem secundus omnem infirmitatem esse physice fundatam. Proponit tertius ut attendatur « infirmitas organica » tantum. Sed secundus instat ut attendatur omnis infirmitas, quia infirmus quilibet incapax fit et habet ius ad actionem. Quartus primo proponit ut sermo fiat de infirmitate corporali, sed secundus aestimat expressionem non sufficere. Proponit quartus ut dicatur « *infirmitas insanabilis* »; quod omnes admittunt. Quare proponitur a Secretario Adiuncto textus ut sequitur:

Can. 214

§ 1. *Per decretum administrativum aut per sententiam iudicialem a statu clericali, ad suam instantiam, dimittatur:*

1º *clericus qui ratione metus gravis sibi incussi aut aliis gravis causae debita libertate in ordine recipiendo gavisus non est, legitime quidem probato libertatis defectu;*

2º *clericus qui probatur insanabili laborare infirmitate, qua incapax redditur qui obligationem statui suo propriam de qua in can. 132 suscipere aut servare possit.*

§ 2. *In processu administrativo servetur modus procedendi, de quo in cann. ...; in processu iudiciali serventur praescripta cann. 1993-1998 (qui sunt recognoscendi et ad simpliciorem formam redigendi).*

Textus ab omnibus adprobatur.

7. Ordo canonum

A Secretario Adiuncto novus ordo canonum proponitur, utpote magis logicus:

- 1) can. 211 remanet ut can. 211, novus textus: modus amissionis status clericalis;
- 2) can. 212 fit prior can. 214, emendatus: rationes dimissionis a statu clericali;
- 3) can. 213 erit novus can. 213: effectus petitionis ipsius pro clericis qui dimissionem a statu clericali petunt;
- 4) can. 214 erit novus can. 213-bis: effectus ipsius amissionis status clericalis: amissio officiorum et obligationum;
- 5) can. 214-bis erit can. novus 213-bis: conditiones ut qui statum clericalem amiserit, denuo inter clericos recipi possit.

Ordo propositus ab omnibus adprobatur.

Textus canonum a studiorum coetu adprobatus

DE AMISSIONE STATUS CLERICALIS

Can. 211

§ 1. Etsi sacra ordinatio, semel valide recepta, numquam irrita fiat, clericus in maioribus ordinibus constitutus statum clericalem amittit:

1º rescripto Apostolicae Sedis, ad instantiam ipsius clericis concessio; quod vero rescriptum diaconis ob graves tantum causas, presbyteris ob gravissimas causas atque nonnisi post congruum probationis tempus, ab Apostolica Sede, auditio proprio clericis Ordinario, conceditur;

2º decreto administrativo aut sententia iudiciali, ad normam can. 212 (qui locum tenet can. 214 Codicis);

3º sententia iudiciali poenam degradationis irrogante.

§ 2. Clericus ad subdiaconatus ordinem tantum promotus statum clericalem amittit:

1º sua ipsius voluntate, praemonito Ordinario qui eum clero adscripsit;

2º ipso facto ob causas in iure definitas;

3º decreto ab Ordinario qui eum clero adscripsit, iusta de causa, lato, si nempe idem Ordinarius, ipso clero quidem auditio, omnibus perpensis prudenter iudicaverit eundem Ecclesiae utilitatis ratione ad ordines maiores promoveri non posse.

Can. 212

§ 1. Per decretum administrativum aut per sententiam iudicialem a statu clericali, ad suam instantiam, dimittatur:

1º clericus qui ratione metus gravis sibi incussi aut alius gravis causae debita libertate in ordine recipiendo gavisus non est, legitime quidem probato libertatis defectu;

2º clericus qui probatur insanabili laborare infirmitate, qua incapax redditur qui obligationem statui suo propriam de qua in can. 132 suscipere aut servare possit.

§ 2. In processu administrativo servetur modus procedendi, de quo in can. ...; in processu judiciali serventur praescripta cann. 1993-1998 (qui recognoscendi et ad simpliciorem formam redigendi sunt).

Can. 213

Clerici in maioribus ordinibus constituti, qui dimissionem a statu clericali petierint, nullum interim officium ecclesiasticum implere nullumque ministerium exercere possunt, obligationibus autem statui clericali propriis adstringuntur, sola excepta obligatione horarum canonicarum.

Can. 214

Clerici qui statum clericalem ad normam iuris amittunt, cum eo amittunt iura statui clericali propria, officia ecclesiastica atque dignitates ecclesiasticas, nec ullis adstringuntur obligationibus statui clericali propriis.

Can. 214-bis

§ 1. Subdiaconus qui statum clericalem amisit, nequit denuo inter clericos admitti, nisi Ordinarius, ad incardinandum competens ad normam can. ..., auditio Ordinario Ecclesiae particularis aut Instituti

cui adscriptus erat, post diligens examen super vita et moribus, et post congruum probationis tempus, eum sacro ministerio idoneum et dignum iudicaverit.

§ 2. Clericus in maioribus constitutus qui statum clericalem amisit, nequit denuo inter clericos adscribi, nisi per Apostolicae Sedis rescriptum, quod quidem nonnisi rarius conceditur.

II

DE CIRCUMSCRIPTIONIBUS ECCLESIASTICIS

Altera quaestio quae tractatur est quaestio de circumscriptionibus seu de divisionibus ecclesiasticis. Cum vero conventus in hac sessione locum habeant tantum horis antemeridianis, deficit tempus ut de hac materia canones redigantur. Hanc ob rationem, membra Coetus decernunt in hac sessione solummodo principia admittenda stabienda esse, et in proxima sessione deliberandum esse de textu canonum, quorum interim schema parabit Secretarius Adiunctus Commissionis.

1. *Quaestio determinationis circumscriptionum*

Quaestio imprimis ponitur utrum elementum territoriale possit esse in posterum criterium determinationis circumscriptionum ecclesiasticarum, sicut est criterium in iure Codicis. In relatione scripta quaestionem optime exposuit quidam Consultor, etiam enucleans principia de hac quaestione a Concilio Vaticano II admissa. Certum quidem est Conc. Vat. II non plene admisisse sistema, vi cuius dioecesis est pars territorialis seu territorialiter semper distincta in Ecclesia universalis, sed Concilium aliam notionem dioecesis extollere, cuius ratione est « portio Populi Dei, quae Episcopo cum cooperatione Presbyterii conreditur ... » (*Decr. Christus Dominus*, n. 11). Territorium quidem momentum habet, non uti elementum constitutivum dioecesis, sed ut determinativum portionis Populi Dei seu communitatis personarum quae dioecesim constituit. Exinde apparet quod regula generali dioecesis, quae est communitas personarum, determinari potest territorio, sed quod etiam alia ratione definiri potest haec communitas, quin detur anomalia in iure. De hoc principio omnes concordant.

2. *Generales enuntiationes quoad circumscriptiones*
(can. 215, § 1)

In deliberatione de recognitione principii stabiliti in can. 215, § 1, omnes consentiunt mentionem esse faciendam Ecclesiarum particularium imprimis, de provinciis ecclesiasticis, et etiam de regionibus ecclesiasticis, quae, ad normam Decreti *Christus Dominus*, n. 40 erigi valent et erigendae sunt ubi utilitas id suadeat.

Proponente Secretario Adiuncto, admittitur can. 1 huius tituli (can. 215) duplum paragraphum continere debere, ita ut, in § 1 enuntietur quaenam in genere sunt circumscriptiones ecclesiasticae, et in § 2 affirmetur constitutionem, suppressionem et mutationem illarum circumscriptionum pendere ab una Ecclesiae Auctoritate Suprema, auditis tamen Episcoporum Conferentiis quarum interest, secundum praescripta Decr. *Christus Dominus*, n. 41.

Rogat quidam ut quantum possibile vitetur usus verbi «circumscription» et alia locutio adhibeatur.

Deinde agitur de ordine servando in tractanda hac materia, scilicet in exponendis normis generalibus de circumscriptionibus ecclesiasticis. Admittitur ut post canonem generalem — de quo supra — in quo diversae circumscriptiones enuntiantur, imprimis, sub I agatur de Ecclesiis particularibus, i.e. de dioecesis et aliis dioecesi aequiparatis, et ut sub II agatur de provinciis ecclesiasticis et de regionibus ecclesiasticis. De iis normae generales tantum statuenda sunt.

I. *De Ecclesiis particularibus*

Imprimis, secundum sententiam omnium Consultorum, generalibus verbis determinandae sunt Ecclesiae particulares, scilicet statendum est quaenam populi Dei portiones veniant nomine Ecclesiarum particularium, et quaenam institutiones eisdem in iure aequiparantur. Itaque in can. 2 (qui erit can. 216) generalis illa determinatio est enuntianda. Dein de singulis speciebus Ecclesiarum particularium, imprimis de dioecesi, tradenda est definitio et indoles canonica. Postremo agendum est de divisione Ecclesiarum particularium in paroecias, et de districtibus in quas diversae paroeciae coniungendae sunt aut coniungi possunt.

3. *Determinatio Ecclesiarum particularium in genere*

Generalis enuntiatio circumscriptionum ecclesiasticarum quae sunt Ecclesiae particulares inde ab initio haberi debet, secundum sententiam communem.

Itaque proponit Secretarius Adiunctus ut verbis sequentibus, vel similibus, haec enuntiatio habeatur: « Ecclesiae particulares, in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia Christi existit, sunt imprimis dioecesis, et insuper Vicariatus Apostolicus et Praefectura Apostolica, Praelatura et Abbatia cum proprio populo christiano, atque Administratio Apostolica stabiliter seu in perpetuum erecta. Iisdem in iure aequiparantur Praelatura personales, quibus non est proprius populus, de quibus in can. ..., nisi ex natura rei aut ex sermonis contextu aliud appareat ».

4. De dioecesi, praecipua Ecclesiae particularis specie

Variae quaestiones ponuntur de praecipua specie Ecclesiae particularis, quae est dioecesis. Quae quaestiones successive considerantur.

1) Definitio dioecesis

Omnibus consentientibus, notio dioecesis in Codice introducenda ea est quae habetur in Decreto Concilii Vaticani II *Christus Dominus*, n. 11. Haec definitio ad litteram assumi potest, ut textus inserendus in can. 1, qui de dioecesi agit.

2) Criteria ad determinandam dioecesis amplitudinem

Criteria seu regulae quibus determinanda est amplitudo dioecesium traduntur in eodem Decreto *Christus Dominus*, nn. 22 et 23.

Proponit autem quidam Consultor ut illae regulae non inserantur in Codice: non habent momentum pro populo christiano ipso, et sufficit earundem enuntiatio, sicut habetur in Decreto *Christus Dominus*; sunt nimis particulares seu speciales ut in Codice I.C. introducantur.

Omnes consentiunt.

3) Elementa determinativa circumscriptio dioecesum

Ut iam dictum est, et iterum exponitur, dioecesim essentialiter esse portionem populi Dei: territorium non est constitutivum dioecesis, sed potest esse determinativum portionis populi Dei, quae dioecesim constituat.

a) Omnibus consentientibus, *pro regula* haberi debet ut dioecesis portio populi Dei determinetur *per territorium* habitationis fidelium, *per territorium* scilicet, in quo domicilium aut quasi-domicilium habent. Regula ergo generali dioecesis erit territorialiter circumscripta, comprehendens omnes qui in dioecesi habitant fideles. Id congruit cum

principio in Decreto *Christus Dominus* enuntiato, vi cuius dioecesis diversos personarum ordines seu classes complecti debet et territorium dioecesis continuum esse debet (n. 23).

b) Quaestio movetur *de dioecesi personali, vel potius mixta*, scilicet quae comprehendat fideles alicuius determinati ritus aut alicuius nationis vel linguae in certo territorio degentes.

Est qui censem nomen dioecesis reservandum esse portioni populi christiani per territorium determinatae seu circumscriptae, a.v. dioecesi territorialiter circumscriptae tantum.

Consentit pro parte alter Consultor: affirmat dioeceses personales vel potius mixtas *ratione ritus* admittendas esse; non vero admittendas esse dioeceses personales seu mixtas ratione nationis vel linguae, quia communiter erectio talis dioecesis habet indolem transitoriam tantum, et fideles alterius linguae vel nationis in territorio quodam degentes integrari solent in communitate fidelium in eodem territorio degentium.

Consentit etiam Secretarius Adiunctus, allegans necessitatem dioecesis personalis ratione nationis aut linguae esse certo rarissimam.

Est qui, item consentiens, proponit ut statuatur dioecesim personalem seu mixtam haberi posse ratione ritus aut alia ratione, quae, iudicio auctoritatis supremae, erectionem dioecesis personalis postulet.

Cum eo convenit et aliis Consultor, aestimans mentionem esse faciendam expresse de sola ratione ritus, et modo generali tantum de aliis rationibus.

Est autem qui instat, arguens dioeceses personales alia ratione quam ritus erectas constituere periculum: ita introducitur quaedam distinctio inter personas secundum ordinem seu classem ad quam pertinent; quae distinctio est contraria menti Decreti *Christus Dominus*, quo statuitur territorium dioecesis contiguum requiri.

E contra, instat alter, aestimans verbis generalibus alias rationes quam ritus esse indicandas: non habetur periculum, de quo loquitur quidam, ait, quia auctoritas suprema iudicare debet, et non possumus ligare supremam auctoritatem. Cum eo consentiunt tres Consultores.

Concludit Secretarius Adiunctus quod maior pars est in favorem regulae iuxta quam *dioecesis personalis seu mixta erigi potest ratione ritus aut in eodem etiam ritu ratione alias causae, de qua iudicat suprema Ecclesiae auctoritas, audita Episcoporum Conferentia cuius interest*.

Attamen, est adhuc qui instat, arguens verum inesse periculum in admittendo existentiam dioecesum personalium ratione alias causae quam ritus.

Est et alter qui in hanc sententiam inclinat, notans quod etiam in Oriente adsunt difficultates ex eo quod diversae dioeceses ratione ritus distinctae in eodem territorio existunt, difficultates scilicet quoad iurisdictionem.

Quapropter proponit qui verum inesse periculum in dioecesi personali ut Ecclesiae particulares quae indolem personalem habent alia ratione quam ritus *non appellantur dioeceses, sed praelatura*e. Admittit paroecias ratione linguae personales, non autem dioeceses.

E contra, est qui observat possibilitatem dioecesum personalium admetti in Decreto *Presbyterorum Ordinis*, n. 10. Proponit ergo ut retineatur modus loquendi supra indicatus, in quo scilicet generalibus verbis illa possilitas admittatur.

Suffragium deinde habetur ad dirimendum utrum Ecclesia particularis quae indolem habeat personalem, complectens fideles ratione eiusdem nationis vel alius causae, vocari debeat dioecesis an alio nomine indicari debeat.

Exitus suffragii est sequens: tales dioeceses personales vocari possunt dioeceses, de sententia 4 Consultorum; tales Ecclesiae particulares non nomine dioecesis appellari debent, sed alio nomine, item de sententia 4 Consultorum.

Inde *nova disputatio* incipit de hac quaestione.

Notat primus Consultor elementum territoriale non tantum habere momentum pro determinatione portionis populi Dei, sed etiam pro exercitio potestatis iurisdictionis.

Proponit secundus Consultor ut Ecclesiae particulares personales non ratione ritus, sed alia causa, vocentur *Ordinariatus*.

Instat tertius Consultor, invocans textum Decreti *Presbyterorum Ordinis*, n. 10.

Solutionem proponit Secretarius Adjunctus sequentem: dicatur dioeceses personales *haberi posse ratione ritus diversi fidelium; ratione vero alius causae (uti sunt natio vel lingua) haberi posse Praelaturas personales, aut si necesse sit, etiam dioeceses personales;* et in nota remittatur ad Decretum *Presbyterorum Ordinis*, n. 10.

Quae solutio ab omnibus adprobatur.

Textus ergo in hoc sensu est redigendus.

4) *Indoles iuridica dioecesis*

Praeponente Secretario Adjuncto, ab omnibus admittitur in canone affirmandum esse dioecesim esse *personam canonica*m seu moralem per

ipsam legitimam erectionem, seu dioecesim gaudere personalitate canonica.

Animadvertisit quidam modum dicendi « personalitate morali gaudere » esse modum loquendi etiam in iure civili admissum. Cui respondet Secretarius Adiunctus in iure civili sermonem esse de « personalitate iuridica », et verbis « personalitate canonica » melius indicari quod agitur de personalitate coram Ecclesia, ita ut confusio vitetur inter personalitatem iuris civilis et personalitatem iuris canonici.

5) *Divisio dioecesis (et in genere Ecclesiarum particularium)*

Divisio dioecesis in paroecias, secundum omnes, retineri debet omnino. Diversae autem quaestiones de paroeciis ponuntur, quae successive considerantur.

a) *Notio paroeciae* tradenda est, ratione habita Concilii Vat. II.

Est qui aestimat generalibus verbis notionem tradi debere, quia sub hoc respectu habetur evolutio seu mutatio progrediens.

Alter affirmat paroeciam modo generali definiri posse uti *partem populi Dei*, quod omnes admittunt.

Proponit Secretarius Adiunctus aliquam definitionem consentaneam Decreto *Christus Dominus*, n. 30; quae definitio sic sonaret: « paroecia est communitas fidelium seu Dei populi pars, quae suum habet peculiarem rectorem, cui, tamquam proprio eius pastori, animarum cura, sub auctoritate Episcopi, committitur ».

Animadvertisit unus Consultorum proprium pastorem esse Episcopum. Sed est qui respondet etiam parochum esse pastorem proprium, sub auctoritate Episcopi et illam affirmationem non praeiudicare Episcopo.

b) *Distinctio inter paroecias et quasi-paroecias servanda an non.*

Explicat sensum distinctionis Secretarius Adiunctus: paroecia habetur, sub iure Codicis, in regimine decentralizato, dum quasi-paroecia in regimine centralizato. Notat tamen hanc distinctionem, pro paroeciis, esse minoris momenti quam pro Ecclesiis particularibus.

Animadvertisit quidam alias insuper esse communitates, et non omnes fidelium communites habere proprium rectorem: in Germania habentur paroeciae, quasi-paroeciae, curatiae, rectoratus, etc.; aliae formae a paroecia differunt, eo quod non omnia elementa habent quae ad paroeciam sunt requisita, ita ut instituantur quando non omnia elementa praestosunt.

Respondet aliquis omnes illas distinctiones melius supprimi in iure

communi, et in iure particulari admitti posse; distinctiones illae sunt historicae. Cui respondet quod momentum habent non mere historicum: paroeciae in magnis civitatibus dividi debent; haec divisio quidem fieri potest erigendo novas paroecias, ait, sed quandoque melius aliae constituuntur formae communitatum, quando scilicet non omnia requisita ad paroeciam habendam praesto sunt.

Proponitur ab aliquo ut in lege generali Ecclesiae distinctio inter paroecias et quasi-paroecias supprimatur atque relinquatur iuri particulari alias divisiones introducere, si necesse sit.

Est qui instat tamen, arguens paroeciam esse communitatem duraturam, alias vero formas esse provisorias et erigendas ut videatur si paroecia institui possit.

Notat autem quidam quaestionem esse de divisione dioecesis et hanc divisionem esse in paroecias.

Proponit Secretarius Adiunctus ut nunc sermo tantum fiat de paroeciis, atque postea, ubi de paroeciis ex professo quaestio erit, de rectoratibus aliisve formis tractetur, quae habent indolem provisoriam. Proponit etiam ut affirmetur divisionem in paroecias fieri posse, attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, ab Episcopo, auditio Consilio presbyterali.

Consentient omnes.

c) *Indoles territorialis aut personalis paroeciae.*

Proponit Secretarius Adiunctus ut pro regula habeatur quod paroecia indolem habeat territoriale, seu quod territorialiter sit circumscripta; ut vero Episcopus, non autem Vicarius generalis aut Vicarius episcopalis, sine speciali mandato, paroecias constituere valeat personales complectens solas personas determinati ritus, certae nationis aut linguae, sed tantummodo auditio Consilio presbyterali.

Animadvertisit quidam Consultor quod Consilium presbyterale audiri debet pro qualibet erectione paroeciarum, sicut et pro earum suppressione et pro qualibet innovatione: ita statuitur in M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 21, § 3.

Attamen, notat aliis Consultor Episcopum non posse audire Consilium presbyterale pro qualibet mutatione, v.g. ut aliqua domus aut minima territorii pars alii paroeciae tribuatur. Sane M.P. *Ecclesiae Sanctae* affirmit: « vel eas quoquo modo innovare », sed possumus proponere mutationem huius disciplinae.

Tandem convenient membra coetus ut Consilium presbyterale

audiatur pro erectione, suppressione, dismembratione et qualibet *mutabili* innovatione.

d) *Coniunctio paroeciarum in districtus.*

Consentient omnes substantiam can. 217, § 1 servandam esse et regulam esse stabiliendam, vi cuius paroeciae diversae coniungendae sunt in vicariatus foraneos seu decanatus seu archipresbyteratus.

Consentient etiam can. 217, § 2 Codicis non esse servandum et regulam esse admittendam, vi cuius ad Episcopum pertinet, auditio Consilio presbyterali, decernere utrum, ratione utilitatis, talis coniunctio omitti possit.

Tandem animadvertisit unus e Consultoribus etiam affirmandum esse quod paroeciae plures in maiores etiam districtus coniungi possunt, quibus praeredit Vicarius episcopal, si utilitas id suadeat, et se refert ad Decretum *Christus Dominus*, n. 23.

II. *De provinciis ecclesiasticis et de regionibus ecclesiasticis*

6) *Principia quoad provincias et regiones ecclesiasticas*

Proponit Secretarius Adjunctus ut sequens ordo dicendorum habeatur utque quaedam principia quoad provincias et regiones ecclesiasticas stabiliantur.

Imprimis, iuxta eum, statuendum est Ecclesias particulares coniungi debere in provincias ecclesiasticas. Quae provinciae ecclesiasticae, si illud utile videatur saltem, componendae sunt in regiones ecclesiasticas. Regiones ecclesiasticae, iuxta eundem, per se comprehendere debent omnes Ecclesias particulares eiusdem nationis, ita ut per se sint nationales; possunt tamen, iudicio Apostolicae Sedis, auditis Episcoporum Conferentiis quarum interest, esse sive infranationales sive supranationales.

Disputatur utrum Regiones ecclesiasticae dici debeant *per se nationales*.

Aestimat unus Consultor melius forsitan esse ut in Codice non affirmetur talis norma.

Censet alter normam illam practice servandam esse, sed non necessario enuntiandam esse in Codice, et ei assentit tertius Consultor.

Sententiae a Secretario Adjuncto propositae assentient duo Consultores. Ei quoque assentit et alius Consultor, postquam propositum est Regiones ecclesiasticas in diversos posse dividi districtus, uti casus

hodie iam est in Italia. Itaque hunc sequentem ordinem pro divisionibus ecclesiasticis proponit Secretarius Adiunctus:

1) In gradu supremo dantur Regiones ecclesiasticae; pro eis celebrandum est Concilium plenarium quod dicitur, quod vero, de sententia unius Consultoris, melius Concilium regionale appellabitur; pro eis quoque exsistit Episcoporum Conferentia regionis. Regiones ecclesiasticae dividi possunt in varios districtus regionales, quorum singuli comprehendunt certum numerum provinciarum ecclesiasticarum totius regionis, et singulis districtibus regionalibus praeest Episcoporum Conferentia districtus.

2) Singulae Regiones ecclesiasticae constant pluribus provinciis ecclesiasticis: in iis haberi possunt Concilia provincialia, et, si certae provinciae non adscribuntur regioni, in eis habetur Episcoporum Conferentia provinciae.

3) Singulae provinciae ecclesiasticae constant pluribus Ecclesiis particularibus seu dioecesibus.

Cum haec ordinatio placeat omnibus, relinquitur ut a Secretario Adiuncto canones de hac materia redigantur, qui postea Coetui studiorum subiiciendi sunt.

III

DE CONCILIIS PARTICULARIBUS ET EPISCOPORUM CONFERENTIIS

1. *Concilia particularia quando convocanda*

Prima opinio, quam proponunt duo Consultores est ut Concilia provincialia convocentur vigesimo quoque anno, et ut Concilia pro tota regione, seu regionalia, convocentur quoties utilitas id suadeat. In eadem opinione est tertius quidam Consultor.

Altera opinio, quae proponitur, est ut potius decimo quoque anno convocari debeant Concilia regionalia (et Concilia provincialia pro provinciis quae ad regionem non pertinent), et ut convocentur, quando utilitas id suadeat, Concilia provincialia. Rationes huius sententiae sunt sequentes: hodie maius momentum habere videtur regio ecclesiastica quam provincia ecclesiastica; insuper necessarium est ut non omnia committantur Episcoporum Conferentiis, sed ut Concilia pro regio-

nibus convocentur, in quibus nempe etiam presbyteri, immo et laici audiri possunt. Consentient duo alii Consultores, aestimantes tamen illa Concilia regionalia convocanda esse tantum vigesimo quoque anno. Huius sententiae sunt etiam alii duo, qui proponunt ut dicatur quod Concilia regionalia convocanda sunt vigesimo quoque anno et quoties illud necessarium aestimatur ab Episcoporum Conferentia.

Approbatur igitur ab omnibus regula, vi cuius Concilia regionalia convocanda sunt vigesimo quoque anno et quoties id utile videatur Episcoporum Conferentiae regionis, et etiam altera regula, vi cuius Concilia provincialia convocanda tantum sunt quando id opportunum videatur Metropolitae et Episcopis suffraganeis simul Provinciae ecclesiasticae.

2. *Quinam ad Concilia particularia convocandi*

1) Omnibus consentientibus, convocandi sunt ad Concilia particularia, cum suffragio deliberativo: *Episcopi dioecesani* et *Episcopi coadiutores*; item *Episcopi titulares qui munus aliquod implet* in territorio, scilicet in regione aut in provincia, aut in dioecesi territorii.

2) Omnibus etiam consentientibus, alii *Episcopi qui non habent munus* in territorio *convocari possunt*: utrum convocandi sunt et habeant votum deliberativum necne dependet:

- a) in regione ecclesiastica, ab Episcoporum Conferentia;
- b) in provincia ecclesiastica, a Metropolita una cum Episcopis suffraganeis.

3) *Convocari etiam debent*, de sententia omnium, illi Ordinarii locorum qui Episcopis dioecesanis aequiparantur, et de quibus agitur in can. 282, § 1 Codicis I. C. De omnium sententia, dici potest quod convocandi sunt omnes locorum Ordinarii, exceptis Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus, et quidem ita ut habeant suffragium deliberativum.

4) De communi opinione, *convocandi sunt*, sed cum *voto consultivo* tantum: Vicarii Generales et Vicarii episcopales; et rogat quidam Consultor ut etiam convocentur, sed cum voto consultivo tantum, decani Facultatum S. Theologiae et SS. Canonum.

5) Proponit Secretarius Adiunctus ut etiam convocari debeant, sed cum voto consultivo tantum, Superiores maiores omnium institutorum clericalium.

Est autem qui sub nomine « institutum clericale » multa com-

prehendi posse; iuxta eum, v.g. non omnes Abbates Ordinis S. Benedicti sunt vocandi, sed praeses tantum Confoederationis Ordinis.

De hac quaestione concordia tantum habetur de eo quod non est distinctio facienda inter exemptos et non exemptos. Regula autem non stabilitur.

6) Utrum *Legatus Summi Pontificis* vocandus sit, *disputatur*.

Iuxta primum Consultorem, vocari deberet ad Concilium particolare, et quidem cum voto deliberativo, reverentiae causa.

Iuxta duo Consultores, Legatus Romani Pontificis non debet vocari: difficultates oriri possunt, si vocari debet, eo quod de quibusdam dissentient Legatus et Concilii Praeses; insuper si Legatus votum habet deliberativum, potest esse inter eos quorum sententia suffragio reiicitur, quod non decet.

Est Consultor qui animadvertisit in Gallia Legatum invitari posse ut invitatum honoris causa qui interest, sed quaestio est utrum ipsi agnosci beatum votum deliberativum an non. Dicit idem Consultor in Gallia Legatum invitari, sed non habere suffragium deliberativum.

Aestimat Secretarius Adiunctus Legatum, reverentiae causa, invitandum esse.

Solutio proponitur a Consultore qui primum mentem suam aperuit, ut admittatur modus agendi in Gallia receptus, scilicet ut invitetur Legatus.

Est qui censem de illa invitatione nihil dicendum esse in Codice.

7) *Alii sacerdotes, et etiam laici convocari possunt, sed sine voto deliberativo, de communi omnium sententia.*

Aestimat Consultor qui supra repraesentantes Capituli et Consilii pastoralis sicut et Concilii presbyteralis determinari debere.

Admittitur ut convocari debeant, sine voto deliberativo, duo repraesentantes pro unoquoque Consilio et pro Capitulo; qui repraesentantes eligi debent a Consiliis et Capitulo.

3. *De potestate Conciliorum particularium*

Proponit Secretarius Adiunctus ut potestas Conciliorum particularium determinetur, et ut mentio fiat de eorum potestate legislativa, ut fit in propositione scripta ab uno Consultorum introducta.

4. *De Conferentiis Episcoporum*

Proponit Secretarius Adiunctus ut textus canonum conficiatur, attentis praescriptis Decreti *Christus Dominus et M.P.Ecclesiae Sanctae*,

et attentis propositionibus factis in scriptis a quibusdam Consultoribus huius coetus.

Tempore deficiente, haec quaestio, videlicet de Conferentiis Episcoporum, non amplius tractatur.

Rogatur autem Secretarius Adiunctus ut, pro proxima coetus sessione, schema canonum redigat etiam de Episcoporum Conferentiis, et ut schema ita redactum ad coetum deferatur, curans, si possibile sit, ut schema canonum propositum ante proximam sessionem ad Consultores, huius coetus membra, mittatur.

Proponente Secretario Adiuncto, materia pro proxima coetus sessione est sequens: recognitio canonum de Episcopis dioecesanis (cann. 329-349).

Ita explicit sessio altera Coetus studiorum « de clericis ».

J. HERRANZ, *Actuarius*

APPENDIX

I

DE CIRCUMSCRIPTIONIBUS ECCLESIASTICIS

Schema canonum ad studiorum coetum deferendum

Can. 1 (215)

§ 1. In Ecclesia universalis exstant Ecclesiae particulares, i.e. dioeceses aliaeque fidelium communitates quae in iure dioecesi aequiparantur. Ecclesiae particulares in diversas provincias ecclesiasticas coniunguntur. Quae provinciae ecclesiasticae et ipsae in varias regiones ecclesiasticas coniungi possunt.

§ 2. Ecclesiarum particularium, provinciarum ecclesiasticarum atque regionum ecclesiasticarum constitutio, suppressio et quaevis innovatio ab una pendet Suprema Ecclesiae Auctoritate, auditis quarum interest Episcoporum Conferentiis.

§ 3. Ecclesiae particulares, provinciae ecclesiasticae et regiones ecclesiasticae legitime erectae personalitate canonica ipso iure gaudent.

I. DE ECCLESIIS PARTICULARIBUS

Can. 2

Ecclesiae particulares, in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia Christi existit sunt imprimis dioecesis, et praeterea Vicariatus Apostolicus et Praefectura Apostolica, Praelatura et Abbatia cum proprio populo christiano, atque Administratio Apostolica stabiliter erecta; eisdem aequiparantur Praelature personales, quibus scilicet non est proprius populus, de quibus in can. 111, § 3, nisi ex rei natura aut sermonis contextu aliud appareat.

Can. 3

Dioecesis est populi Dei portio, quae Episcopo cum cooperatione presbyterii pascenda concreditur, ita ut, pastori suo adhaerens ab eoque per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata, Eccle-

siam particularem constituat, in qua vere inest et operatur Una Sancta et Apostolica Christi Ecclesia (Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 11).

Can. 4

§ 1. Abbatia et Praelatura cum proprio populo est fidelium communitas, cuius cura committitur alicui Abbatii aut Praelato qui eam, ad instar Episcopi dioecesani, tanquam proprius eius pastor regat, quae vero in dioecesim non constituitur sive quia minoris sit extensis, sive quia personalem habeat indolem, complectens scilicet solos fideles determinatae nationis aut linguae aliave ratione determinatos.

§ 2. In iure quae statuuntur de Episcopo dioecesano, etiam valent de Abbatie et Praelato cui proprius populus committitur, nisi ex rei natura aut ex sermonis contextu aliud constet.

Can. 5

Vicariatus Apostolicus et Praefectura Apostolica est certa populi Dei portio, in terris missionum praesertim existens, quae in dioecesim iam non est constituta quaeque pascenda committitur Vicario Apostolico aut Praefecto Apostolico, ut eam nomine Summi Pontificis regat.

Can. 6

Administratio Apostolica est certa populi Dei portio, quae ob speciales et graves rationes sive ad tempus sive in perpetuum a Summo Pontifice in dioecesim non erigitur, et cuius cura pastoralis committitur Administratori Apostolico, qui eam nomine Summi Pontificis regat.

Can. 7

§ 1. Pro regula habeatur ut portio populi Dei quae dioecesim aliamve Ecclesiam particularem constituat certo territorio circumscribatur, ita ut omnes comprehendat fideles in territorio habitantes.

§ 2. Attamen, ratione ritus distincti fidelium erigi valent dioeceses diversae in eodem territorio. Immo, ubi alia ratio, iudicio Supremae Ecclesiae Auctoritatis, audita quidem, ad normam can. ..., Episcoporum quarum interest Conferentiis illud suadeat, pro certis fidelium coetibus constitui valent Praelatura personales, et, si necesse sit, etiam dioeceses personales (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 10).

Can. 8

§ 1. Cuiuslibet dioecesis aliusve Ecclesiae particularis territorium dividatur in distinctas partes seu paroecias. Paroecia est fidelium communitas seu populi Dei pars, cui propria ecclesia est assignanda et cuius cura pastoralis parocho, tanquam proprio eius pastori, sub Episcopi dioecesani auctoritate, committitur.

§ 2. Pro regula habeatur ut paroeciae territorialiter sint circumscriptae. Attamen, quoties et quamdiu utilitas curae pastoralis id suadeat, potest Episcopus dioecesanus, auditio Consilio presbyterali, non vero Vicarius generalis aut Vicarius episcopalis sine speciali mandato, paroecias constituere complectentes solos fideles determinati ritus aut certae nationis vel sermonis in eadem civitate aut territorio degentes.

§ 3. Paroecias erigere, supprimere aut eas innovare unius est Episcopi dioecesani, non autem Vicarii generalis aut Vicarii episcopalis sine speciali mandato. Episcopus dioecesanus paroecias ne erigat, aut supprimat, nec eas notabiliter innovet, nisi auditio Consilio presbyterali.

§ 4. Paroeciae legitime erectae personalitate canonica ipso iure gaudent.

Can. 9

§ 1. Ut curae pastorali in paroeciis quam maxime provideatur, etiam per communem, ubi id expedit, diversarum paroeciarum actionem, plures paroeciae vicinae coniungantur in vicariatus foraneos, qui etiam veniunt nomine decanatus vel archipresbyteratus, quibusque praesunt vicarii foranei, decani seu archipresbyteri, quorum est actionem pastoralem communem in territorio sibi commisso promovere ac moderari, atque paroeciis eiusdem territorii invigilare, ad normam iuris (cf. PAULUS VI, *Motu Proprio Ecclesiae Sanctae*, I, n. 19).

§ 2. Vicariatus foraneos constituere, supprimere aut innovare, secundum necessitates actionis pastoralis, pertinet ad Episcopum dioecesanum, auditio Consilio presbyterali.

Can. 10

Ubi utilitas curae pastoralis id suadeat, diversi vicariatus foranei ab Episcopo dioecesano, auditio item Consilio presbyterali, componantur in maiores districtus, qui districtus dioecesani appellantur, quibus praeifiuntur Vicarii episcopales (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, nn. 23 et 27).

**II. DE PROVINCIIS ECCLESIASTICIS
ET REGIONIBUS ECCLESIASTICIS**

Can. 11

§ 1. Ut communis diversarum dioecesum vicinarum, iuxta socia-
lia et localia adjuncta, actio pastoralis promoveatur atque Episcoporum
dioecesanorum inter se relationes aptius foveantur, Ecclesiae particu-
lares viciniores componantur in provincias ecclesiasticas.

§ 2. Omnes et singulae dioeceses aliaeque Ecclesiae particulares
quae in iure dioecesibus aequiparantur alicui provincia ecclesiasticae
adscribi debent.

§ 3. Singulae provinciae ecclesiasticae subsunt auctoritati Concilii
provincialis atque Metropolitae, ad normam iuris. Quae vero provin-
ciae ecclesiasticae non pertinent ad regionem ecclesiasticam, insuper
subsunt auctoritati Episcoporum Conferentiae, ad normam iuris.

Can. 12

§ 1. Ubi, de iudicio Supremae Ecclesiae Auctoritatis, auditis qua-
rum interest Episcoporum Conferentiis, utilitas id suadeat, diversae
provinciae ecclesiasticae in eadem natione aut in certo territorio con-
stitutae in regionem ecclesiasticam componantur.

§ 2. Regiones ecclesiasticae comprehendant omnes provincias eccl-
esiasticas in eadem natione constitutas, nisi adjuncta personarum ac
rerum minorem aut maiorem earum amplitudinem suadeant, ita ut
aliquas tantum provincias ecclesiasticas in natione constitutas aut pro-
vincias ecclesiasticas in diversis nationibus erectas complectantur.

§ 3. Regiones ecclesiasticae subsunt auctoritati Concilii regionalis
atque Episcoporum Conferentiae regionis, ad normam iuris.

§ 4. Regiones ecclesiasticae dividi possunt in diversos districtus
regionales, quibus singulis praeest Episcoporum Conferentia districtus.

APPENDIX

II

DE CONCILIIS PARTICULARIBUS
ET DE EPISCOPORUM CONFERENTIIS

Can. 1 (281)

Ut diversarum Ecclesiarum particularium eiusdem regionis aut provinciae ecclesiasticae bono communi aptius provideatur, praesertim per definitas communes apostolatus formas ac rationes atque per definitam aequalem in fide docenda ac tuenda et in disciplina ecclesiastica ordinanda rationem, sacrorum Antistites singularum regionum et provincialium ecclesiasticarum coniunctim, secundum iuris praescripta, munus suum pastorale exercere debent. Quare Concilia particularia, tum regionalia, tum provincialia celebrentur, atque Episcoporum Conferentiae constituentur, ad normam canonum qui sequuntur.

I. DE CONCILIIS PARTICULARIBUS

Can. 2

§ 1. Concilia regionalia, pro omnibus scilicet Ecclesiis particularibus eiusdem regionis ecclesiasticae, celebrentur vigesimo saltem quoque anno, et quoties id Episcoporum Conferentiae regionis, approbante Apostolica Sede, necessarium aut utile videatur.

§ 2. Eadem norma, de qua in § 1, valet etiam de Conciliis provincialibus celebrandis in provinciis ecclesiasticis quae regioni ecclesiasticae non sunt adscriptae.

Can. 3

§ 1. Concilia provincialia, pro diversis Ecclesiis particularibus eiusdem provinciae ecclesiasticae quae regioni ecclesiasticae est adscripta, celebrentur quoties id, de iudicio Metropolitae ac Episcoporum suffraganeorum, opportunum videatur.

§ 2. Sede archiepiscopali vacante, Concilium provinciale ne convocetur.

Can. 4

Episcoporum Conferentiae regionis ecclesiasticae est:

- 1º convocare Concilium regionale;
- 2º locum ad celebrandum Concilium regionale intra territorium regionis ecclesiasticae eligere;
- 3º praesidem Concilii regionalis eligere ac electum, ab Apostolica Sede approbatum, instituere;
- 4º ordinem in quaestionibus tractandis determinare, Concilii regionalis initium ac periodum indicere, illud transferre, prorogare et absolvere.

Can. 5

§ 1. Metropolitae, una cum Episcopis suffraganeis provinciae ecclesiasticae, est:

- 1º convocare Concilium provinciale;
- 2º locum ad celebrandum Concilium provinciale intra provinciae territorium eligere; qui locus, nullis exstantibus iustis impedimentis, metropolitana ecclesia sit optatur;
- 3º ordinem in quaestionibus tractandis determinare, Concilii provincialis initium et periodum indicere, illud transferre, prorogare et absolvere.

§ 2. Metropolitae, eoque legitime impedito Episcopi suffraganei, ab aliis Episcopis suffraganeis electi, est Concilio provinciali praeesse.

Can. 6

§ 1. Ad Concilia regionalia et Concilia provincialia convocandi sunt atque in eodem ius habent suffragii deliberativi:

- 1º Episcopi dioecesani regionis aut provinciae ecclesiasticae itemque omnes locorum Ordinarii territorii, vicariis generalibus et vicariis episcopalibus exceptis;
- 2º Episcopi coadiutores et auxiliares in aliqua Ecclesia particuli regionis aut provinciae;
- 3º alii Episcopi titulares qui peculiari munere sibi ab Apostolica Sede aut ab Episcoporum Conferentia demandato in territorio funguntur.

§ 2. Ad Concilia regionalia et provincialia vocari possunt alii Episcopi titulares in territorio degentes; qui ius habent suffragii deliberativi aut consultivi, prout id decernit Episcoporum Conferentia pro Concilio regionali, Metropolita una cum Episcopis suffraganeis pro Concilio provinciali.

§ 3. Ad Concilia particularia vocandi etiam sunt, ita tamen ut suffragio non gaudeant nisi consultivo:

1º Vicarii generales et vicarii episcopales omnium in territorio Ecclesiarum particularium;

2º Superiores maiores religionum et institutorum clericalium, quae in territorio sedem habent;

3º Rectores Universitatum catholicarum atque Decani Facultatum S. Theologiae et SS. Canonum, quae in territorio sedem habent.

§ 4. Ad Concilia particularia vocari etiam possunt, ita tamen ut suffragio non gaudeant nisi consultivo, presbyteri ex utroque clero, religiosi atque laici, sive viri sive mulieres.

§ 5. Ad Concilia provincialia praeterea invitentur Capitula cathedralis aut consultores dioecesani, itemque Consilium presbyterale et Consilium pastorale uniuscuiusque Ecclesiae particularis cuius Ordinarius, ad normam § 1, vocari debet, ita quidem ut eorum singula duos ex membris mittant procuratores, collegialiter ab iisdem designatos; qui tamen votum habent tantum consultivum.

Can. 7

§ 1. Omnes qui ad Concilia particularia convocantur, eisdem interesse debent, nisi iusto detineantur impedimento, de quo Concilii praesidem certiorem facere tenentur.

§ 2. Qui ad Concilia particularia convocantur et in eis suffragium habent deliberativum, si iusto detineantur impedimento, procuratorem mittant; qui procurator, si sit unus ex Patribus quibus est suffragium deliberativum, dupli voto non gaudet; si non sit, votum habet tantum consultivum.

Can. 8

Concilio regionali aut provinciali inchoato, nemini eorum qui interesse debent, in eo habentes suffragium deliberativum, licet discedere, nisi iustam ob causam, a Concilii Praeside probatam.

Can. 9

Concilium plenarium et Concilium provinciale pro suo quodque territorio potestate gaudent legislativa, ita ut, salvo semper iure universalis Ecclesiae, decernere valeant quae ad fidei incrementum, ad actionem pastoralem communem ordinandam et ad moderandos mores et disciplinam ecclesiasticam communem servandam, inducendam aut tuendam opportuna videantur.

Can. 10

Absoluto Concilio regionali aut provinciali, praeses curet ut omnia acta Concilii ad Apostolicam Sedem transmittantur. Decreta a Concilio edicta ne promulgentur nisi postquam ab Apostolica Sede expensa et recognita fuerint. Ipsius Concilii est definire et modum promulgationis decretorum et tempus quo decreta promulgata obligare incipient.

Can. 11

Decreta Concilii regionalis provincialis legitime promulgata obligant in suo cuiusque territorio universo; ab iisdem dispensare possunt locorum Ordinarii, sed iusta de causa et in casibus particularibus dumtaxat.

II. DE EPISCOPORUM CONFERENTIIS

Can. 12

§ 1. Episcoporum Conferentia, quae quidem natura sua est perpetua, constituatur in singulis regionibus ecclesiasticis, in districtibus regionalibus in regione ecclesiastica legitime erectis, atque in provinciis ecclesiasticis regioni ecclesiasticae non adscriptis.

§ 2. Episcoporum Conferentiae pro pluribus regionibus ecclesiasticis seu supraregionales ne constituantur, nisi approbante Apostolica Sede, cuius est pro singulis peculiares normas statuere.

Can. 13

§ 1. Ad Episcoporum Conferentiam ipso iure pertinent omnes in territorio regionis, districtus regionalis aut provinciae locorum Ordinarii, cuiuscumque sint ritus, vicariis generalibus et vicariis episcopali-

libus exceptis, itemque Episcopi coadiutores, Episcopi auxiliares atque ceteri Episcopi titulares peculiari munere, sibi ab Apostolica Sede vel ab Episcoporum Conferentia demandato, in eodem territorio fungentes.

§ 2. Ceteri Episcopi titulares necnon, ob singulare quod in territorio obeunt officium, Legatus Romani Pontificis non sunt de iure membra Episcoporum Conferentiae (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 38, 2º).

Can. 14

Quaelibet Episcoporum Conferentia sua conficiat statuta, ab Apostolica Sede recognoscenda, in quibus, praeter alia, ordinentur Conferentiae conventus plenarii habendi, et provideantur Consilium Episcoporum permanens et Secretaria generalis Conferentiae, atque alia etiam officia et Commissiones quae iudicio Conferentiae fini consequendo efficacius consulant (cf. Decr. *Christum Dominus*, n. 38, 3º).

Can. 15

§ 1. Quaelibet Episcoporum Conferentia sibi eligat praesidem, determinet quinam, Praeside legitime impedito, munere Pro-praesidis fungatur, atque Secretarium generale Conferentiae constituat, ad normam statutorum Conferentiae.

§ 2. Praeses Conferentiae, atque eo legitime impedito Pro-praeses, episcopalis Conferentiae conventibus generalibus praeest.

Can. 16

Conventus plenarii Episcoporum Conferentiae habeantur semel saltem singulis annis et praeterea quoties id postulent peculiaria adjuncta, secundum statutorum praescripta.

Can. 17

§ 1. Suffragium deliberativum in conventibus plenariis Conferentiae episcopalis ipso iure competit locorum Ordinariis, de quibus in can. 13, § 1, necnon Episcopis coadiutoribus Ecclesiarum particulatum territorii.

§ 2. Episcopis auxiliaribus ceterisque Episcopis titularibus qui ad Episcoporum Conferentiam pertinent, suffragium competit deliberativum aut consultivum, iuxta statutorum Conferentiae praescripta (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 38, 2º).

Can. 18

§ 1. Decisiones seu decreta ab Episcoporum Conferentia in plenario conventu edicta vim legis habent dumtaxat, quae, in casibus in quibus ius commune id praescripserit aut peculiare Apostolicae Sedis mandatum, sive motu proprio sive ad petitionem ipsius Conferentiae datum, id statuerit, legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum voto deliberativo fruentium, prolata sint.

§ 2. Decisiones seu decreta, de quibus in § 1, vim definitivam obligandi non obtinent, nisi ab Apostolica Sede recognita, legitime promulgata fuerint. Modum promulgationis et tempus a quo decreta vim suam exserunt, ab ipsa Episcoporum Conferentia in statutis determinantur.

Can. 19

Absoluto conventu plenario Episcoporum Conferentiae, libelli actorum, a Praeside et Secretario Conferentiae subscripti et sigillo debite muniti, duplici exemplari exarati, ad Apostolicam Sedem transmittantur, tum ut in eiusdem notitiam acta perferantur tum ut decisiones seu decreta, si quae sint, ab eadem recognosci valeant; acta quae referunt decreta, ab Apostolica Sede recognoscenda, contineant oportet, praeter relationem de rebus actis, nomina eorum qui conventui interfuerunt et exitum suffragationis pro singulis decretis (cf. Instructio ad executionem Const. Vat. II de Sacra Liturgia, n. 29).

Can. 20

Decreta Episcoporum Conferentiae legitime edicta et promulgata obligant in suo cuiusque territorio universo; ab iis dispensare possunt locorum Ordinarii, iusta de causa et in casibus particularibus tantum.

Can. 21

Consilium Episcoporum permanens in singulis Episcoporum Conferentiis constituatur, cuius est curare ut res in plenario conventu Conferentiae agendae rite praeparentur, et ut decisiones in conventu plenario statutae debite executioni mandentur; eiusdem etiam est alia perficere, quae ipsi ad normam statutorum committuntur.

Can. 22

Secretaria generalis in singulis Episcoporum Conferentiis constituantur, cuius est:

1º relationem componere omnium decisionum et actorum conventus plenarii Conferentiae et Consilii Episcoporum permanentis, et eandem cum omnibus Conferentiae membris communicare; alia etiam acta conscribere, quae ipsi a Conferentiae praeside aut a Consilio permanente componenda committuntur;

2º de mandato Conferentiae Praesidis, acta conventuum pleniorum, ad normam can. 19 exarata, ad Apostolicam Sedem transmittere;

3º communicare cum Conferentiis episcopalibus finitimarum regionum acta et documenta quae a Conferentia in plenario conventu aut a Consilio Episcoporum permanente ipsis transmittenda statuuntur.

Can. 23

§ 1. Foveantur relationes inter Conferentias episcopales diversarum, praesertim finitimarum, regionum ad maius bonum promovendum ac tuendum (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, n. 38, 5º).

§ 2. Quoties vero actiones aut rationes a Conferentiis ineuntur formam internationalem praeseferentes, Apostolica Sedes moneatur oportet (**PAULUS VI**, Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 41, 4º).

J. HERRANZ, *Actuarius*